


LUNÆ DIE 20 M. AVGVSTI A.2001

A.d. XIII Kal. Septembres a. MMI

103



M E L L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AUSPICIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0)2 735.04.08. / Telecop. 02.735.51.32. / guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

NOVA SPES IN FRANCOGALLIA

Die 19 mensis Maii Parisiis habitus est conventus « Le latin, tradition vivante », quem instituerat Consociatio Catholica Litteras Docentium (Association Catholique des Professeurs de Lettres) ad disputandum de linguæ Latinæ institutione scholari. Hæc enim institutio in Francogallia versatur in summo discrimine.

¶ Plus quam ducenti homines confluerunt in auditorium deversorii Sofitel Saint Jacques, ubi eos accipiebat Dominicus Viain, Consociationis præses et conventus instructor. ¶ Primus acroasin fecit Christophorus G. Brown, litterarum Latinarum socius professor Vasioniæ in studiorum universitate « George Washington » nominata. Qui vir Consociationem multum adiuverat ut conventus institui posset. In memoriam revocavit Latinitatem per multa sæcula ab Ecclesia Catholica indissociabilem fuisse atque conatus est discernere cur scientia ususque linguæ Latinæ in orbe Christiano paulatim obsolevisset. ¶ Deinde verba fecit expectatissimus professor Iohannes H. Ørberg, Danus, qui suam optimam methodum c.t. « Lingua Latina per se illustrata » explicavit. Nobis narravit se ab anno 1949 hanc methodum pedetemptim elaboravisse. Quamquam in Dania linguæ Latinæ institutio scholaris iam diu tabescit, professor Ørberg centenos discipulos hanc linguam docuit commercio epistulari utens. ¶ Inexpectatum spectaculum successit acroasi professoris Ørberg. Ascendit enim in suggestum professor Aloisius Miraglia cum viginti circiter discipulis. Qui vir Italus linguas classicas docet in gymnasio oppidi Montellæ in Italia meridionali siti, ubi iam complures annos methodum adhibet Ørbergianam. Veniam ab auditoribus petivit quod linguam Francogallicam non callebat atque suum docendi modum Latine paucis explicavit, antequam methodi efficacitatem apud discipulos demonstraret. Discipuli discipulæque, de argumentis in methodo tractatis Latine interrogati, facile respondere valuerunt, mirantibus auditoribus. ¶ Ad finem matutinæ sessionis verba fecit Dominicus Viain, qui miserabilem magistrorum condicionem exposuit. Nulli iam discipulo est obligatio linguæ Latinæ discendæ. Plerique parentes putant linguam Latinam nullius utilitatis esse, nec ad mentem formandam, nec ad linguam Francogallicam subtilius noscendam. Quæ cum ita sint, magistri coguntur discipulos allicere institutione fere inani, ne, deficientibus discipulis, tollatur cursus Latinus. Methodus Ørbergiana, ait Dominicus Viain, cum sit ludicra, huic catastrophæ aliquid remedii afferre fortasse poterit. ¶ Post opiparum prandium sessio postmeridiana quæstionibus philosophicis et theologicis dicata est, quæ ad symbolam meam vix spectant. Vespere in vicina caupona strenuiores Latinistæ una



A sinistris : Christophorus G. Brown, Dominicus Viain, Iohannes H. Ørberg.

cum professore Ørberg et omnibus Aloisii Miraglia discipulis iucundum convivium Latinum participaverunt. ¶ Fuit ergo conventus frequens et acroasibus magni momenti ornatus. Utinam sit etiam frugifer.




Cum Dominicum Viain auscultarem de iacenti institutione Latina loquentem, mihi in mentem venit inquirere cur res in Francogallia devenissent in hunc extremum statum. ¶ Pueri Francogalli scholam frequentare non debebant usque fere finem XIX sæculi. Tunc, impellente publico administro Iulio Ferry, condita est schola primaria, publica, laica, gratuita et obligatoria. Huius scholæ propositum erat « nationale » ; oportebat vicani etiam remotissimarum imperviarumque regionum fierent cives Francogalli. Scholæ instructæ sunt in singulis vicis, quo missi sunt magistri in specialibus institutis severe edocti. Effectus non impares fuerunt regiminis proposito : dialecti, quarum multæ tunc vigeabant, fere radicitus extinctæ sunt ; Ecclesiæ auctoritas e vita publica repulsa in fana recessit ; communis cultus Francogallicus a cunctis fere incolis gradatim assumptus est. ¶ Hæc tamen publica schola primaria solum spectabat ad populi progeniem, i.e. agricolarum et operariorum. Burgensium liberi aliam scholam frequentabant, « lyceum » vocatam. Ibi cyclus secundarius etiam præbebatur, cuius programma imitabatur humaniora studia Græca et Latina, qualia iam diu instituta erant in collegiis ordinum religiosorum. In his lyceis discipuli minus imbuebantur cultu Francogallico quam universali cultu Græco-Latino. ¶ Tamen segregatio scholaris non erat tota. Magistri enim in scholis prima-

riis discipulos optimi ingenii seligebant, quibus regimen pecuniam præbebat ut studia pergere possent in lyceo, quin etiam in studiorum universitate. Huius modi ordinatio institutionis scholaris, quæ nostris temporibus fastidiose vocatur « elitismus republicanus », omnium fere consensu fruebatur. Magistri classes homogeneas magna cum auctoritate docebant ; meliores discipuli sursum trahebantur, peiores satis celeriter ad exitum scholæ ducebantur. ¶ Hæc institutionis ordinatio fere integra mansit circiter usque annum 1960, sed post alterum bellum mundanum magis magisque visa est non « democratica » sensu hodierno. Tunc ortum est consilium « scholæ unicæ » - i.e. eiusdem scholæ pro omnibus discipulis - quod post triginta circiter annos ad effectum adductum est. ¶ Cur tanta mutatio facta sit, hoc pendet a compluribus causis. Certe erant in politicis factionibus sinistris homines qui somniabant de fortunæ æqualitate omnibus discipulis præbenda, quicunque est eorum familiæ status socialis. Hæc tamen causa non sufficit, si consideramus mutationis gradus effectos esse regentibus non solum factionibus sinistris, sed etiam factionibus dextris. Præcipua causa fuit mutatio œconomica in Francogallia. Machinæ motorix lacertis hominum se celeriter substituerunt tum in agris cum in fabricis. Ad vitam sustentandam solæ manus iam non sufficiebant ; oportebat erudiri ad operandum in novis technicis : appetentia institutionis augebatur. ¶ Quare in dextris factionibus viget doctrina « liberalis » de institutione scholari, secundum quam solum tradi debent materiæ quæ discipulis utiles erunt ad munus inveniendum : « mercatus laboris », qui dicitur, moduletur institutionem scholarem. ¶ Ergo dextræ et sinistræ factiones suæ quæque modo ad scholæ mutationem operam dederunt. Sed quales sunt effectus ? ¶ Certe discipuli qui

baccalaureatum in fine cycli secundarii obtinent quinque frequentiores sunt quam ante quadraginta annos et alumni in studiorum universitatibus quater frequentiores. Sed etiam octogenæ centesimæ discipulorum partes baccalaureatum obtinere possint sine magna difficultate ; sufficit faciliora examina eis proponere. Ubicumque tamen auditur vel legitur discipulorum doctrinam in omnibus disciplinis in annos magis magisque coartari. Præterea parentes coguntur suos liberos mittere ad suæ administrativæ regionis scholam unicam ; multis tamen in regionibus classes tam heterogeneæ sunt, ut magistri vix docere possint et, amissa omni auctoritate, effrenatam discipulorum violentiam patiantur. Non mirum ergo quod multi parentes hanc legalem obligationem non respicere diversimode conantur. ¶ Divortium factum est inter voluntatem multorum parentum, quibus maximæ curæ est bona suorum liberorum institutio, et scopum ministerii « Educationis Nationalis », qui spectat ad futurum nationis Francogallicæ. Quare, neglectis pessimis effectibus, regimen pergit ut instituit, i.e. ad scholam unicam imponendam, ubi colitur utopia fortunæ æqualitatis. Democratix autem nomine nunc minores differentesque incolarum greges respiciuntur, sed ius differentix servandæ congruere non potest cum Francogallico cultu unico, unde oritur nova difficultas. ¶ Fortunæ æqualitatem instituere nequimus. Iam ab ortu homines inter se differunt (nisi fortasse hominis clonatio instituat !). Inæqualitas etiam in societate humana nunquam tolli potuit, etiam regentibus communistis. Dum contra omnem evidentiam regentes utopiam fortunæ æqualitatis persequuntur, « arcem studiorum classicorum », ut aiunt, in itinere everterunt ; quo facinore cultus Francogallicus suis ipsius radicibus orbatur, quæ sunt etiam totius Europæi cultus radices. ❧

Gaius LICOPPE



Aloisius Miraglia et eius discipuli : vivæ institutionis miranda demonstratio.

DE SAVNA SIVE BALNEO FINNICO

- scripsit Thomas (Tuomo) Pekkanen -

Finnis valde placet in sauna sive balneo Finnico balneare. Rustici saunam in proximitate domus ædificatam plerumque habent sed hodie, cum maior populi pars in urbibus oppidisve habitat, sauna velut ornatum proprium etiam ad domos urbanas tam unius familiæ quam seriales pertinet, et in multizoniis quoque una saltem sauna est. In habitationibus novissimorum multizoniorum sæpe singulæ saunæ sunt. Etiam fieri potest, ut saunam Finnica in habitatione unius conclavis invenias.

Sauna in vita populi Finnici locus primarius fuit. Olim infantes in sauna nascebantur, in calore eius homines pediculis et cimicibus liberabantur, ibi etiam corpora mortuorum ante sepulturam lavabantur. Urho Kekkonen, præsidens Finniæ diuturnus, gloriari solebat se in sauna natum esse. Primis decenniis sæculi præteriti apud familias ruri habitantes in sauna nasci adhuc solitum erat, quippe qui esset locus ab ipsa domo separatus, purus et tranquillus, ubi aqua ad lavationem puerperarum et infantium abundabat.

Michæl Wexionius, unus ex primis professoribus Academiae Abœnsis, in opere, c.t. Epitome descriptionis Gothiæ, Sueciæ, Fenningiæ et subiectarum provinciarum, a. 1650 Aboæ edito, de balneo Finnico hæc narrat : « Fenniæ obstetrices infantes recens natos calidissimo balneo inferunt ibique in editore loco virgis frondiferis cædunt, donec cutis instar corii Ruthenici rubeat. Eodem modo puerperas tractant. Et vulgo omnes Fenni balneis frequentissime utuntur. Unde exsistentes, vel intensissimo frigore, aquas cum glacie et

nive mixtas ex puteo, rivo aut mari haustas nudo corpori alacres et ridenti vultu superfundunt. Unde duriora genti corpora et strictiores artus esse constant. Quæ et terræ suæ solo et cælo acrius animantur. » (Cf. Tac.Germ. 29,2 de Mattiacis : ipso adhuc terræ suæ solo et cælo acrius animantur ; ib. 30,2 de Chattis : duriora genti corpora, stricti artus.)

Finnis hodiernis sauna est simpliciter locus recreationis, et plerique semel saltem singulis septimanis balneant. Balneum Finnis tantam voluptatem parat, ut balneatio assidua pæne peccatum habeatur.

Finni sunt natio, in qua sunt plurimæ societates omnis generis. Itaque non mirum est, quod saunæ amatores societatem balneantium nationalem condiderunt, quæ mores et traditiones ad balneationem pertinentes sedulo observat. Huic societati est Hymnus balneantis, cuius verbis, a Henrico (Heikki) Tyhtilä scriptis, pietas ritui balneationis Finnorum propria feliciter describitur. Cum apud Finnos hodie Latinitas viva magnam habeat auctoritatem multosque amatores, moderatores societatis balneantium voluerunt, ut ille hymnus a me in Latinum verteretur. Quod libentissime feci. ❖

HYMNVS BALNEANTIS

O Iesu Domine,
fac sanctum nomine
hoc balneum, immundus
ut reus fiam mundus.
Me semper balneato
et sabbato lavato.

Nam cum superbio,
lavari cupio,
spe firma facultatis
parandæ voluptatis.
Te, Iesu, non iuvante
pernicies est ante.

In his vaporibus
est salus omnibus.
Mens balneo pacatur,
tristitia levatur.
Hic taciti sedemus,
nunc Dominum laudemus.

(Textus hymni Finnici : Heikki Tyhtilä,
versio Latina : Tuomo Pekkanen)



Sauna interior. Sinistra virgæ frondiferæ, dextra bama balnearis.
Pinxit Leena Tyhtilä.

INEDITA PŒMATIA C. ARRII NVRI (1907-1979)

– quæ proposuit Theodoricus Sacré –

C. *Arrius Nurus*¹ (ita se ipse vocare solebat *Harry C. Schnur*) genere erat Iudæus, ortu Pancovo-Berolinensis, civitate primum Austriacus, dein Germanus (MCMXX), postremo Americanus (MCMLII), domo post alterum bellum universale ex ordine deinceps Novo-Eboracensis, Stamfordensis Connecticutensis, Tubingensis et ab anno MCMLXXIII Sangallensis apud Helvetios. Natus erat Berolini die 24^o mensis Februarii anno MCMVII.

Hisce verbis vitam Arrianam incohavit Iosephus IJsewijn, intimus olim pœtæ amicus. Cui exordio rerum pleno cetera respondent : unde discimus virum mercaturis tabacinis opulentum anno 1952 philologiæ classicæ studia Novi Eboraci aggressum, quattuor post annis, conscripta de Petronio Arbitro dissertatione, doctorem esse renunciatum ; inde Latinas litteras et Græcas professum esse Novi Eboraci, Rupellæ Novæ et Tubingæ (ubi Valahfridum inter auditores habuit). Morbo cuidam subitario succubuit in nosocomio Hongkongensi mense Februario anno 1979 ; biennio autem ante carmina Latina in unum congesserat volumen (C. Arrius Nurus, *Pegasus claudus*, tomus additicius *Vocis Latinæ* (Saraviponti, 1977)). Nam pro suo in sermonibus addiscendis ingenio a studiis classicis vix incohatis statim versiculos pangere cœperat. Acer rerum, hominum, sui observator permulta epigrammata lusit, alia faceta, alia mordacia. Ceterum genera quædam obsoleta dum scribit ad vitam revocavit, veluti hodœporica, bucolica, macaronica, Menippeas satiras, rhopalicos versus, centones : Ausonium igitur crederes (quem magna cum delectatione evolvere solebat) ad superos reducem. Nil ergo mirum, si in Hœufftiano Certamine laude ter est ornatus sive viros doctos bis licet invitus fefellit : nam satiræ Iuvenalianæ fragmentum a se scriptum pro genuino ita vendere nonnullis philologis videbatur, ut nihil ioci illi sint suspicati, supplementum autem Petronianum, quod senex scripsit, si frustatim edidisset, viri Petroniani doctissimis sane scholiis obruissent (nam fuisse memini nonnullos qui cum in seminario Latinitatis vivæ nescio quo locum quendam ex eo excerptum primum cognovissent, Petronianum esse firmissime asseverarent). Atque ego, ni spatiis excluderer iniquis, sescenta artis eius exempla libenter proferrem ; uno contenti abeant legentes : quod lusit postquam sectionem subiit chirurgicam :

Urinator eram iuvenis nandique peritus,
iuverunt semper fluminei latices.
Largifluus fuerat iuveni quoque ductus aquai :
prostata prostravit glandula deinde senem.

Quam tumidam exsecuisti cultro, docte cherurge,
Iuppiter Urios at fautor amicus erat.
Iam scatis, ante reses, iam prosilit amplior unda :
Nurus Anurus erat, nunc Palinurus erit.

An nescis quomodo ille epigramma inscripserit ?
Græce et divinitus : hic est enim titulus : ΠΑΥΤΑ ΡΕΙ
(*Pegasus claudus*, p. 108).
Arrius Nurus et scriptoribus Latinis virisque rei neola-
tinæ studiosis, siquid in lucem edere præ pecuniæ
angustiis nequibant, suis ipse nummis subveniebat.
Eandem operam idemque auxilium nunc præstat
Rhoda Schnur, quam in matrimonio Nurus habuit ;
siquidem condidit « Pegasus limitatum » studiis neola-
tinis fovendis. Quæ mulier pro sua benignitate duo ad
nos nuper misit carmina Nuri inedita.

1. [De Rhoda uxore gravida] (1969)²

Rhoda sumit prandium,
id quod erit ultimum
ante magnum vomitum.
Cena et ientaculum
erunt præda piscium
propter mare turbidum.

Nurus autem est contentus :
hunc non terret sævus ventus.
Placidus et corpulentus
(interdum et flatulentus)
edit, bibit temulentus
donec venter est distentus.

Atque puella misella vomit : sic ructuat Ætna
evomitque artus hominum Polyphemus in antro ;
æquore sed placido cum crastina fulserat Eos,
en, rediviva iterum Rhoda floruit atque refecta est.

2. [Epigramma de Rhoda uxore gravida et de semetip-
so] (1969)³ Philologentag, Bonn 1.9.1969

Conspicitur senis hic caræ atque uxoris imago ;
hæc gravida, ille gravis ; gratus uterque Deo.

ex improviso scripsit C. Arrius Nurus

1. Cfr. bibliographia selecta in appendice.

2. Scriptum, dum mare Atlanticum transmittunt coniuges, in averso photographemate quod servat Rhoda Schnur. Versiculos rhythmicos sequuntur heroici nonnulli.

3. Scriptum in averso photographemate. Est distichon elegiacum.

Bibliographia selecta : J. IJsewijn, 'In memoriam Harry C. Schnur (Berlin, 24 Febr. 1907 - Hong Kong, 21 Febr. 1979)', *Humanistica Lovaniensia*, 28 (1979), 336-337; G. Tournoy - D. Sacré (edd.), *Pegasus devocatus. Studia in honorem C. Arri Nuri sive Harry C. Schnur. Accessere selecta eiusdem opuscula inedita*, Supplementa Humanistica Lovaniensia, 7 (Lovanii, 1992) (continet i.a. Nuri vitam, auctore J. IJsewijn, Nuri bibliographiam, congestam a G. Tournoy et C.L. Weitzel, commentationem de Nuri poësi Latina

scriptam a Th. Sacré, Nuri supplementum Petronianum edente Th. Sacré); W. Stroh, 'Harry C. Schnur (1907-1979). De C. Arrio Nuro magistro epistula ad Ernestum Vogt', *Eikasmos*, 4 (1993), 337-339; C. Læs, 'Imitating Petronius : H.C. Schnur's Petronian Supplement', in D. Sacré - G. Tournoy (edd.), *Myrica. Essays on Neo-Latin Literature in Memory of Jozef IJsewijn*, Supplementa Humanistica Lovaniensia, 16 (Lovanii, 2000), pp. 647-675.

NVNTII EX CONGO

- de largitate pauperum scripsit P. Iobannes M. Lecomte SI -

Missionarius quidam Belga, Iosephus Lelarge nomine, qui in diœcesi Kikwitensi in Congo dat opus, nobiscum hos nuntios communicavit, Francogallice profecto scriptos, quos in Latinum interpretor : « Die illo Dominico in quo Epiphaniæ festum agebatur, Dominus noster Episcopus Mununu Kasiala consilium habuit ut quam plurimos convocaret fideles qui sollempni cærimonia Anno Sancto finem una imponerent. Kikwiti urbis omnes viginti parœchias et « proparœchias » accessivit ut Eucharisticam liturgiam sub divo ante ecclesiam cathedralem una venirent peragere. Clarissimo item consilio petivit ab unaquaque Fundamentali Ecclesiali Communitate (Francogallice C.E.B. = *Communauté ecclésiale de Base*) ut ad minimum nummos 250 et realia dona secum afferrent. Christiani quidem splendidum dederunt responsum. Sanctæ Missæ offertorialis processio per duas integras horas habita est, omnium cum infinitis plausibus et tympanorum lætissimis sonitibus. Sancti Cypriani Institutii seminaristæ quoque aderant, talaribus suis tunicis induti, qui et ipsi saltantes sua dona afferebant. Eodem modo facientes et saltantes procedebant et materculæ Christianæ.

In donis sic oblatis, maxime variæ videndæ erant res :

fructus et olera plurima ; animalia quoque : capra una, anas una, gallinæ plures ; coctilia quoque ligna, etc. In macello videbaris versari. Quæ omnis generis oblationes versicolores odoriferæque ante altare rite deponebantur. Quod vero pulcherrimum erat videndum, studium quidem erat et ardor horum Christianorum qui ex sua propria indigentia magnifice largiebantur. Iesum licebat memorari viduæ pauperæ largitatem admirantem, quæ de sua penuria sibi necessarium victum in gazophylacium Templi mittebat. Bene notandum est hos homines qui tot optimas res ad altare sic offerebant sæpius inedia urgeri, ipsos non habentes unde quotidie famem sedent. En lucem in nocte lucentem ! Confucii adagium memorari licet : « melius est lucem accendere quam tenebris maledicere ». Quod in his omnibus mihi maxime fuit mirum, lætitia est horum hominum. Vere lætantes gaudentesque donabant. Integra cærimonia per sex horas perducta est. Prædicatio Domini Episcopi per amplius integram horam est habita ». ❧

(Ex fasciculo c.t. « Echos de la Compagnie de Jésus », m. Aprilis 2001, a Iesuitis Provinciæ Belgicæ Meridionalis edito)

IVVENIS WERTHER QVÆ PASSVS SIT

- excerpta in Latinum versa a Nicolao Gross -

Die 16 m. Iun. ¹ Cur tibi non scribam ? - Hoc quæris, quamvis doctissimus ? Divines me bene valere, id est - ne multa, puellam cognovi, qua commoveatur anima mea. Cognovi - nescio. Tibi ordine narrare, quomodo factum sit, ut cognoscerem unam e puellis sane lepidissimis, difficile erit. Hilaris atque beatus cum sim, non sum bonus historicus. Angelam - phy ! omnis vir dicit suam - nonne ? Tamen non possum, quin tibi dicam, quam perfecta illa sit, cur illa perfecta sit ; ne multa : quæ cepit totum animum meum. En illam tam simplicem, tamen tam sagacem, tam clementem, tamen tam firmam. Anima autem est tranquilla, quamvis vere vivat et agat. Ineptæ nugulæ sunt hæc omnia, quæ de illa tibi dico, res a sensibus remotæ, quibus ne una quidem proprietas huius puellæ describitur. Alias - non, non alias, sed nunc statim tibi narabo. Aut nunc aut numquam. Nam - hoc sit inter nos - ex quo cœpi scribere, ter iam pennam fui depositurus, sellam equo imponendam curaturus, ad illam profecturus. Tamen hodie bene mane iuravi me non equo vecturum, tamen iterum iterumque fenestram adeo, ut videam, sol quam altus adhuc stet.



Non potui, quin foras equitarem ad eam. Nunc iterum adsum, Vilelme, butyratum panem nocturnum comedens velim tibi scribere. Quanta voluptas est animæ meæ illam spectare in circulo parvulorum carorum et alacrium, qui sunt octo fratres sororesque !



Si ita perrexero, in fine rem haud melius scies quam in initio. En audi, me cogam, ut rem accuratius exponam. Nuper tibi scripsi, quomodo cognovissem magistratum S., et is me rogavisset, ut se mox visitarem in habitaculo suo eremitico, aut potius in parvo suo regno. Quod cum neglexissem, fortasse numquam eo pervenissem, nisi forte fortuna mihi apertus esset thesaurus, qui latet in illa regione quieta. Iuvenes nostri constituerant ballationem ruri faciendam, ad quam participandam libenter paratus eram. Manum porrexi puellæ huius vici bonæ, pulchræ, ceterum nullius momenti, et convenerat, ut sumerem carpentum, cum consaltrice eiusque consobrina veherer in vicum, ubi fieret hæc delectatio, eoque vehens mecum afferrem Charlottam S. - « Cognosces mulierem pulchram », socia mea dixit, cum per silvam latam excisam vehebamur, in domum venatoriam, - « cave, ne incidas in amorem » - « Quare ? » dixi. - « Iam nupsit », illa respondit, « viro

valde bono, qui profectus est, ut res suas pertractaret, quia pater mortuus est, et acciperet heredium sat commodum. » - Quem nuntium accepi animo satis æquo. Sol hora quadranti abfuit a montibus, cum adveniremus portam aulæ. Tempestas erat valde æstuosa, ut mulieres dicerent se sollicitari propter tempestatem, quæ nubeculis cinereis et fuscis circa horizonta videretur cooriri. At decepi mulieres metuentes adroganter de tempestate docens, quamvis ipse inciperem suspicari delectationem nostram perturbatum iri.

Cum escendissem, ancilla, quæ ad portam venit, nos rogavit, ut paulisper exspectarem, Dominulam Lottulam mox venturam esse. Per aulam ii ad domum bene ædificatam, et, cum per scalas ante positas ascendissem et per ianuam intrassem, oculis meis incidit spectaculum lepidissimum omnium, quæ umquam vidi. In procætone huc illuc movebantur sex parvuli, qui erant inter undecim et duos annos nati, circa puellam staturæ formosæ, mediæ longitudinis, quæ induta erat simplici veste alba ; eius brachia pectusque ornata erant tutulo rubeolo. Quæ puella tenebat panem nigrum et unicuique parvulorum circumversantium quadram desecabat pro ætate et appetitu, unicuique dabat tanta cum comitate, unusquisque tanta cum simplicitate evocabat « Gratias ago ! », parvis maniculis diu porrectis, priusquam quadra est desecta, deinde cum cena sua hilariter aut prosiliebat aut pro indole quietiore tranquillius abibat versus portam aulæ, ut videret alienos et carpentum, quo Lottula eorum erat profectura. - « Veniam da », eadem inquit, « quod te rogo, ut ingrediaris et mulieres sino exspectare. Vestimenta cum induerem et varias res domesticas pararem, oblita sum parvulis dare panem vespertinum, neque ii ab ullo volunt accipere panem secundum nisi a me. » Levi blandimento dicto tota anima mea acquievit mulieris formæ, voci, moribus ; modo tempus mihi restitit, quo recreatus sum a stupore, cum illa in cubiculum cucurrit, ut afferret digitabula et flabellum. Parvuli remotius ex obliquo me aspexerunt, ego autem adii minimum natu, infantem facie felicissime formata. Qui se retraxerat, cum Lotta per ianuam intravit et dixit : « Ludovice, da manum Domino consobрино » - quod puer fecit valde liberaliter, neque ego abstinui, qui eum - quamvis nasulo esset mucoso - medullitus oscularer. - « Consobrinus ? » inquam, mulieri manum porrigens, « putasne me dignum esse, qui cognatus sim tibi ? » - « O » inquit leviter subridens, « consobriini nobis sunt multi, doleam, si tu eorum sis pessimus. » - Abiens Sophiæ sorori secundæ a se, puellæ circiter undecim annos natæ, mandavit, ut parvulos bene custodiret et attam salutaret, cum circumequitatione finita domum

veniret. Parvulis dixit, ut sequerentur sororem Sophiam, quasi illa esset Lotta ipsa ; quod nonnulli expressis verbis promiserunt. Puella flava et nasutula, circiter sex annos nata, dixit : « At illa non es tu, Lottula, te magis diligimus. » -

Pueri maximi natu in carpentum repserant, Lotta me rogante iis concessit, ut conveherentur usque ad silvam, si promitterent, ne unus alterum cavillaretur et carpento sat firme adhærerent.

Vix recte consederamus ; mulieres inter se salutaverant, vicissim de vestium synthesibus, præsertim de petasis aliquid adnotaverant, et homines, qui expectabantur, sermone satis pertractaverant : cum Lotta carpentarium iussit sistere et fratres descendere, qui iterum cupiverunt osculari Lottæ manum, quod maximus natu fecit omni teneritudine ætati quindecim annorum propria, minor multa cum vehementia et levitate.

Puella parvulos iterum salvare iussit et nos perreximus iter facere.

Consobrina interrogavit, num illa perlegisset librum a se nuper missum ? - « Non » Lotta inquit, « displicet, recipias. Ille, quem antea dedisti, haud melior fuerat. » - Miratus sum, cum interrogassem, quales libri essent ? Illa mihi respondit ?...

In omnibus, quæ Lotta dixit, tantam constantiam inveni, omni in verbo ab ea dicto inveni novos lepores, novos radios ingenii ex Lottæ lineamentis oris apparentes, quæ paulatim læte evolvi videbantur, quia puella me aspiciens sensit se a me intellegi.

« Cum essem minor natu », inquit, « nihil tam vehementer dilexi quam fabulas Romanicas. Deus scit, quam bene me habuerim die Dominico in angulo considens toto corde particeps fortunæ bonæ aut adversæ alicuius dominulæ, cui nomen fuit Iohannula. Nec infiteor me hoc genere librorum adhuc aliquatenus attrahi. Sed cum raro vacem libro legendo, oportet idem mihi satis placeat, spectet ad gustum meum. Is autem auctor est mihi dilectissimus, apud quem reperio vitam quam ipsa experta sum, apud quem tales res aguntur, quales circa me ipsam, et cuius fabula mihi tam bene placet et cordi est quam propria mea vita domestica, quæ non est paradisiaca, sed omnis est fons beatitudinis ineffabilis. » - Studui dissimulare, quam vehementer commoverer his verbis. Hoc quidem non diu factum est : nam cum eam audirem obiter loqui tanta cum veritate de rurali sacerdote Wakefieldensi de...³ - excitatissimus Lottæ omnia dixi quæ scivi.

Aliquanto demum temporis transacto animadverti, cum Lotta sermonem ad ceteros verteret, eosdem interim oculis apertis quasi non assiderent, assedissem.

Consobrina plus quam semel me aspexit nasulo irriso-

rie contorto, quod ego non curavi.

Sermo incidit de voluptate saltandi. - « Si hæc cupiditas est vitium », Lotta dixit, « libenter tibi confiteor me nullam rem præferre saltando. Si quæ mihi est contractiuncula, tympanizo clavicymbalo dissono saltationis contrariæ modos musicos ; quo fit, ut statim prorsus reconvalescam. »

Eheu colloquens quantum pastus sum Lottæ oculis nigris ! Quantum labris eius vividis et genis recentibus atque alacribus attracta est tota anima mea ! Ut ego sensui sermonis Lottæ magnifico totus traditus sæpe verba non audiverim, quibus idem sensus est expressus ab illa ! - hoc tu aliquatenus scis animo fingere, quia me novisti. Ne multa, e curru escendi tamquam somnians, cum ante castellum oblectabile constitissemus, et somnio in mundo obtenebrescenti tam valide traditus eram, ut animum vix attenderem ad modos musicos, qui ex œco illuminato audiebantur.

Duo domini, *Audran* et quidam N. - quis omnia hæc nomina memoriter tenet ! - qui erant consobrinæ et Lottæ consaltatores, prope forniculam carpenti nos receperunt, secum abduxerunt mulieres sibi attributas, et ego adduxi meam.

In minuētis inter nos circumplexi sumus ; invitavi unam mulierem post aliam nec voluerunt manum dantes finem facere vel morosissimæ. Lotta eiusque consaltator cœperunt saltare more Anglico, et quam bene me habuerim, cum ea in serie quoque figuram incohasset nobiscum, sentias. Heus oportet videas eam saltantem ! Viden, ea toto corde et tota anima dedita est saltando, totum eius corpus tam consonum, tam socors, tam liberum, quasi nihil sit nisi saltare, quasi præterea nihil cogitet, nihil sentiat ; hoc autem momento temporis certe coram ea cetera omnia evanescent.

Rogavi eam de altera saltatione contraria ; quæ mihi concessit tertiam et cum sinceritate maxime amabili mihi affirmavit se libentissime saltare more Theodisco.

« In more quidem est apud nos », perrexit dicere, « omnes paria saltantium, qui inter se sint coniuncti, more Theodisco si saltent, una manere, sed *Chapeau* meus cum ipse parum sciat valsare, gratias mihi referet, si ab hoc labore eum liberavero. Consaltatrix autem tua quoque nescit valsare neque vult, et vidi, cum saltarem more Anglico, te bene valsare ; si nunc mihi esse vis Theodisce saltanti, i quæso, roga dominum, et ego ibo ad dominam tuam. » Hoc promisso inter nos convenit, ut Lottæ consaltator interim colloquendo delectaret meam consaltatricem.

Nunc inceptumst ! et delectati sumus aliquantisper brachiorum amplexibus multiplicibus. En quanto

lepore, quanta levitate illa se movit ! Cum autem valsare incohatumst sphæris inter se circumrotantibus, in initio quidem, quia valsare sciunt paucissimi, ordo saltandi aliquatenus disturbatus est. Nos autem prudentes primo sivimus alios furendo fatigari et, cum abscessissent inhabilissimi, nos cœpimus, et una cum altero pari saltantium, id est cum *Audran* eiusque consaltatrice, fortiter permansimus. Numquam mihi saltare tam bene successerat. Desii esse homo. Bracchiis tenere animantem omnium lepidissimam et cum eadem circumvolitare tamquam ventum, ut omnia circumiecta evanescerent, et - Vileme, ut verum confitear, tamen iuravi - me puellæ a me amatæ, quæ aliquatenus ad me pertineret, numquam concessurum esse, ut cum aliquo valsaret nisi mecum, etsi perirem. Tu me intelleges ! Aliquoties per œcum ambulavimus, ut spiritum recipe-remus. Deinde illa consedit. Arancia autem a me seposita, nunc unica relicta, effectum habuerunt optimum ; tamen omni frustulo exsecto, quod Lotta vicinæ immodestæ honoris causa tradidit, ego vexatus sum.

In Anglica saltatione tertia non iam fuimus par secundum. Cum per seriem saltarem, et ego, Deus sciat, quanta cum voluptate, e Lottæ bracchiis et oculis penderem, qui pleni erant apertissima delectatione purissima verissime expressa, venimus ad quandam mulierem, quæ mihi vultu amabili, facie non iam valde iuvenili fuerat insignis. Illa mulier Lottam subridens aspexit, digitum sustulit minaciter, prætervolans magna cum gravitate bis appellat nomen Alberti. - « Quis est Albertus ? » dixi Lottæ, « si licet interrogare. » Ea cum esset responsura, tum oportuit nos inter nos segregare, ut saltando formaremus magnam figuram octonariam, et cum inter nos præteriremus, ea mihi visa est frontem deliberando caperrare. - « Quid infitear » inquit, cum manum mihi præberet ambulatum, « Albertus est vir probus, cui plus minusve sum sponsa. » Hoc quidem mihi non erat novum (nam puellæ mihi dixerant nobis iter facientibus), tamen mihi prorsus novum, quia nondum consideraram ratione Lottæ habita, quæ tam paucis momentis temporis mihi facta erat tam pretiosa. Ne multa, perturbatus sum, oblitus mei ipsius, ut intervenirem pari saltantium non convenienti, ut omnia verterentur sursum deorsum et necessarium esset Lottam adesse et trahendo et stringendo ordinem celeriter restituere.

Saltatio nondum erat finita, cum fulgura, quæ iam diu videramus in horizonte coruscantia, quibus leviculis semper dixeram æra frigefieri, cœperunt valde augeri et tonitribus modi musici sunt obruti. Tres mulieres ex ordine cucurrerunt, quas secuti sunt earum domini ; turba facta est communis, ut concentus musicus finire-

tur. Naturale est nos, si infortunio, aut re terribili opprimimur, dum voluptate fruimur, nos iisdem magis afficimur quam alioquin, partim quia rerum contrarietas tam vivide sentitur, partim et potius, quia sensus nostri iam sensibilitati aperti eo celerius sensuality percipiunt. His de causis puto complures mulieres mirum in modum ora distorsisse. Prudentissima earum consedit in angulo, dorso adversus fenestram posito aures manibus obtexit. Altera ad eius pedes genua flexit, caput abdidit in eius gremium. Tertia se interposuit illis et sororculam mille lacrimis effusis amplexa est. Nonnulli voluerunt domum ire ; alii, qui etiam minus sciverunt, quid facerent, non erant tanta constantia animi, ut moderarentur audaciæ nostrorum catulastorum, qui videbantur vehementer studere, ut omnes preces anxias cælo destinatas captarent de labiis pulchrarum, quæ urgebantur. Nonnulli dominorum nostrorum deorsum se contulerant, ut tranquille pipulam fumificarent ; neque ceteri recusaverunt, cum copa prudenter nobis attribueret conclave foriculis et cortinis instructum. Vix ibi adveneramus, cum Lotta occupata est circulo sellarum ponendo et, cum socii rogati consedissent, lusu introducendo.

Vidi nonnullum, qui spe pignoris opimi inductus osculum acueret et membra porrigeret. - « Ludamus » inquit, « calculo. » « Attendite ! Ego per gyrum ambulabo a dextris ad sinistra, vos numerate per gyrum, omnis quisque dicat eum numerum, qui spectet ad se. Hoc autem oportet fiat quam rapidissime ; qui hæsitaverit aut erraverit, eum alapabo, et sic fiat usque ad numerum millesimum. » - Hoc autem erat aspectu ridiculo. Illa bracchiis erectis per gyrum ambulavit. « Unum » primus cœpit, propinquus « duo », sequens « tria » eqs. Deinde illa cœpit celerius ambulare, etiam celerius ; tum aliquis erravit et - tux, pax ! - alapatus est, et, risu exorto, sequens quoque pax ! etiam etiamque celerius. Ego ipse duas alapas accepi et intimo ex animo delectatus mihi visus sum animadvertere eas alapas esse fortiores quam illas ceteris attributas... ❧

1. E Iohannis Volfgangi de Gœthe opere c.t. Die Leiden des jungen Werther, a. 1774.

2. Videtur supprimendus esse hic locus epistolæ, ne cui sit occasio querendi. Tamen generaliter nulli auctori magni faciendum est iudicium singulæ puellæ et iuvenis vagabundæ.

3. Etiam hoc loco omissa sunt nomina nonnullorum auctorum patriæ. Qui particeps est plausus Lottæ, certe intimo ex corde assentietur hunc locum legens, et præter eum ne sciat alius.

DE MAHVMETANÆ ARCHITECTVRÆ ORIGINIBVS (VI)

– scripsit Gaius Licoppe –

Hisham¹ (724-743), decimus stirpis Omeiadum califa, primus videtur esse qui magna ædificia profana exstruenda curavit.

Usque adhuc solum de religiosa architectura tractavi, cui califæ Omeiades imprimis operam dederunt, cum necessarium esset in Syria Christiana Islamismi præstantiam manifestare.

Omeiades, qui Damascum elegerant ut Arabici imperii caput, cum exultæ Syriæ commoditatibus et lautitiis statim capti essent, fastosum ritum aulicum, qualis apud Byzantinos et Persas Sassanidas in usu erat, imitari voluerunt. Principes tamen Arabes e patrio more proni erant ad vagandum. Certe domum regiam Damasci habebant, de qua nihil superest, sed multis in locis alias aulas regias exstruendas curaverunt.


Urbs caput hodierni regni Iordaniæ ante Ptolemæorum dominationem vocabatur « Rabbat Ammon », unde eius hodiernum nomen « Amman ». Ptolemæi eam Philadelphiam vocaverunt, quod nomen usque Arabum invasionem servatum est. In huius urbis acropoli sunt parietinæ aulæ regię tempore Omeiadum exstructæ, quæ ab incolis vocantur « kasr », vocabulum a « castris » deductum. Huius aulæ regię architectura non est generis Byzantini, quod in omnibus ædificiis religiosis adhibitum esse vidimus, sed generis Sassanidarum.

Eius ichnographia est cruciformis ; ibi quattuor « ivana » (cfr. ad imaginem adiunctam) ad medium ædificium spectant. Eius ornamenta constant e rudibus rosarum palmarumque effigiebus infabre incisis. Omeiades principes non solum in urbibus sedem habuerunt, sed etiam ruri. Nam in Syria, Iordania et Republica Isræliana inventæ sunt multorum ædificiorum parietinæ, quæ, cum in solitudinibus sitæ sint, ab æqualibus nostris vocari solent « castella deserti ».

Multum inter doctos disputatum est de horum castellorum usu. Plerique diu autumaverunt castella deserti mansiones ludicras et orygm venationi aptas fuisse, cum Arabes principes hanc venandi consuetudinem ex Arabia apportavissent. Recentiores tamen effossiones archæologicæ monstraverunt loca castellis circumiecta olim fuisse agros frugum fertiles. Terra enim in his Proximi Orientis solitudinibus, quæ nunc sunt, ferax est si quidem irrigatur. Huic autem necessitati homines operam dare non possunt nisi pace fruentes.

Ætate pacis Romanæ aqua magnis operibus in hos agros deducta est. Sed V. et VI. sæculo, propter atroces Persarum incursiones populationesque, hydraulica opera derelicta sunt atque arva in desertas solitudines mutata.

Per unum fere sæculum Omeiades in his regionibus pacem Arabicam imponere valuerunt, qua fieri potuit




In ruinis aulæ regię, quæ adhuc supersunt in Philadelphię acropoli, hoc photographemate ostenditur una ex quattuor interioribus frontibus cum « ivano ». Vocabulum Persicum « iwan », quod Latine vestitum fit « ivanum », in architectura Mahumetana significat recessum concameratum in fronte sive interiore sive exteriori cuiusdam ædificii instructum.

ut opera hydraulica restituerentur atque auferentur. Explorationibus archæologicis atque photographematis de cælo factis multa prædia reperta sunt, quorum arva et pomaria sæpimentis circumdata erant ad vagantem pecuariam arcendam.

In his prædiis principes Arabes sibi exstruendas curaverunt mansiones varii generis et nonnullas sumptuosissimas. Pleræque earum formam habent castrorum, qualia Romani et Byzantini ad imperii limitem tuendum ædificaverant. His mansionibus semper adiunctæ sunt thermæ et meschita.

Aliquid hic dicendum est de thermarum usu apud Mahumetanos. Romani ubicumque imperii thermas exstruxerunt. Post religionem Christianam impositam, balnei usus, invitis Ecclesiæ Patribus, non solum mansit in parte orientali imperii, sed etiam auctus est ætate Byzantina. Arabes Mahumetani a Byzantinis acceperunt balneandi consuetudinem, quam servaverunt.



Castellum quod Arabice vocatur « Kasr Kharana » typicam castrorum formam habet, qualia Romani et Byzantini in illis regionibus ædificare solebant.

Vocabula Arabica, quæ spectant ad balnea, originem Byzantinam habent :

- ¶ « dimas » a verbo, quod est δημόσιον (ædificium publicum)
- ¶ « ballon » a verbo, quod est βαλανεῖον (balineum)
- ¶ « hammam » est Arabica translatio « thermarum ».

Ad has generales notiones illustrandas nonnulla castella deserti speciatim describam.

« KASR AL-HALLABAT » eminet in colle 25 chiliometris ab oppido Zarqa sito ad septentrionem orientemque versus. Hoc castellum ad rem nostram præcipue pertinet propter historiam longam et satis bene notam.

Castellum iam II. sæculo p.Ch.n. ibi exstructum est ad Viam Novam Traianam tuendam.

Inscriptione Latina compertum est novum castellum anno 212, Caracalla imperante, ædificatum esse. In alia inscriptione legitur castellum restauratum esse anno 529, imperante Iustiniano. Propter Persarum incursiones castellum ineunte VII. sæculo relictum est, sed ab anno 640, Omeiadum iussu, restauratum et iterum occupatum est. Medio VIII. sæculo, cum abrupte finitum est Omeiadum regnum, castellum, vicus et circumiacentes agri derelicti sunt.

Ædificium solitum castrorum Romanorum aspectum præbet. Quadratum est et in singulis angulis erecta est ampla et quadrata turris ternorum tabulorum. Unam portam habet.

KASR AL-HAYR AL-GHARBI (i.e. castellum Hayr occidentale) 60 chiliometris abest a Palmyra in via quæ Damasco Palmyram ducit. In eo loco, qui tempore

imperii Romani fuit prospera oasis, magna opera hydraulica ad agros irrigandos facta sunt, inter quæ cataractæ in monte instructæ, unde aqua per alveum 16 chiliometra longum adducebatur.

Exeunte III. sæculo, post reginam Zenobiam ab imperatore Aureliano devictam, hæc oasis relinquitur. VI. sæculo Byzantini ibi monasterium collocant. Omeiades autem totum situm restaurant atque magnum castellum quadratum exstruunt turribus munitum, quarum una eademque maxima unicum vestigium est monasterii Byzantini.

Duæ picturæ in partibus interioribus inventæ sunt ; in una depicti sunt auletes et citharista sub fornice stantes atque infra equitem orygem venantem, quæ sunt solita themata Sassanidarum artis ; in media pictura altera apparet dimidia femina linteo fruges retinens, quæ effigies manifesto pertinet ad Græco-Romanam artem. Inde percipiuntur duplices fontes artis Omeiadum.

KASR AL-HAYR AL-SHARKI (i.e. castellum Hayr orientale) 60 chiliometris abest a Palmyra ad septentrionem orientemque versus in plaga hodie omnino deserta, sed Romanorum tempore frugifera atque sæpimentis circumdata, quibus continebatur area in longitudinem 7 chiliometra patens et 2 in latitudinem. Aqua, quæ illud fistula adducebatur, capiebatur in fontibus 30 chiliometra distantibus.


Textus Arabicus de hoc loco refert hæc : « Fuit olim urbs a Romanis condita, qui cisternas et aquæ ductum e longinquo ortum instruxerant. Hisham curavit ut opera hydraulica restaurarentur et castella ædificarentur. » Ibi enim parietinæ duorum castrorum quadratorum munitorumque inveniuntur. Eorum maius divisum est in duodecim partes circum cavædium dispositas, quarum novem sunt habitationes et reliquæ tres cæci speciales, i.e. meschita, cæcus audientiarum et prela. Meschita mirum in modum eandem dispositionem habet ac meschita Damascena, de qua supra tractavi. Prela eodem modo disposita sunt ac ubicumque in Syria Romanorum ætate. Ex eorum præsentia patet vini usum non fuisse derelictum.

MSHATTA est magnum palatium imperfectum, cuius ædificatio incohata est paulo ante Omeiadum stirpem vi extinctam, i.e. circiter anno 743 vel 744. A Philadelphia abest 30 chiliometris ad meridiem orientemque versus atque in plaga omnino deserta eminet. Nulla aqua ibi est in promptu præter eam, quæ e pluviis hiemalibus in cisternas colligitur.

Subiuncta (p. II) ichnographia magnam aream quadra-

tam moenibus et 25 turribus circumdatam ostendit. Hoc palatium, ut solet, castrorum Romanorum aspectum præbebat, sed re vera eius munitiones non erant aptæ ad obsidionem sustinendam. Arabum enim imperium tunc tam late patebat, ut nullus hostium impetus videretur timendus.

Partes interiores ita dispositæ sunt, ut fastosus ritus aulicus magnificaretur. Palatio unus est aditus per amplam portam (1) vestibulumque, cuius ad dextram est meschita (2). Post vestibulum instructus est concameratus ornatusque œcus (3), unde per magnum subdival (4) accessus patet in adversam eandemque aulicam ædificii partem. Ibi per spatium basilicale (5), cuius tectum sustentant duo ordines Corinthiacarum columnarum e marmore viridi, accessus datur in ipsam aulam regiam, cui est forma trifolina instar



Ichnographia castelli « Mshatta », cuius partes numero signatæ in symbolæ textu describuntur.

Constantinopolitanæ domus regiæ. Advenæ, qui ad califæ aurem admittebantur, dum per spatium basilicale progrediuntur, nihil adspiciebant nisi siparia. Subito, sipariis remotis, obstupefacti califam coram videbant media in aula trifolina sedentem splendidissimoque ornatu fulgentem. Tunc fiebat προσκύνησις, i.e. cærimonia salutationis, qua ad pedes califæ procumbere debebant.

Ædificium tanti splendoris in plaga omnibus rebus carenti exstruere sola Omeiadum stirps potuit. Tantum enim patebat eorum imperium et tanta eis erat potestas, ut parangarias instituere valerent, quibus operarii undique imperii cogebantur ad opera publica efficienda. Cuius rei testimonium præbetur ipsis palatii lateribus, in quibus archæologi invenerunt signa cæmenta-



Paucæ picturæ in parietibus supersunt. Hac in castello « Kousayr Amra » servata ostenduntur operarii lapidem transportantes.

riorum e Mesopotamia et Ægypto arcessitorum.

KOUSAYR AMRA est locus singularis qui a Philadelphia circiter 75 chiliometris abest ad orientem versus. Ibi in ripa rivuli, in quo, ut solet in his solitudinibus, raro fluit aqua, parvum ædificium eminet inter vestigia castelli et casarum, quæ ibi crudis lateribus exstructæ sunt et decursu temporum corruerunt. Servatum ædificium saxis infabre quadratis ædificatum est atque e tribus concameratis spatiis constat. Insunt non solum thermæ, sed etiam œcus qui propter extraordinarias parietum picturas videtur ad califæ audientias destinatus esse. Quibus ostenduntur venationes, balneatrices nudæ (cfr p. 12) et præsertim imagines quattuor devictorum regum, quorum nomina Græce et Arabice sunt subscripta : Cæsar Byzantinorum imperator, Rodericus Visigothorum in Hispania rex, Chosroes Rex Regum in Sasanidarum imperium, et Negus Abyssiniæ imperator.


KHIRBET AL-MAFDJAR, etiam califæ Hisham palatium vocatum, non longe a Hiericunte (Jericho) in Iordanis valle situm est. Maximum et splendidissimum est eorum castellorum, quæ Omeiades extra magnas urbes exstruenda curaverunt. Hoc ædificium ad finem eorum regnum incohatum, probabiliter intra longum regnum califæ Hisham (724-743), iam anno 747 vehementi terræ motu eversum est. Fortasse præsertim usui fuit eius nepoti et successoris al-Walid II. (743-744), qui maxime



*In alia pictura castelli
« Kousayr Amra » apparet
balneatrix seminuda.*


depravatus erat. Hoc enim palatium præsertim ad voluptatem amandi, potandi et poetandi aptatum esse videtur.

Palatium ipsum, mœnibus turribusque inclusum, quadratam castrorum formam habet, ut solet. In medio est magnum cavædium porticibus circumdatum. Iuxta palatium agnoscuntur vestigia meschitæ, cuius paries meridionalis ædicula « mirhab » instructus est. Paulo longius stabant extraordinariæ thermæ iam anno 747 terræ motu eversæ. Archæologi, qui has ruinas scrutati sunt, demonstraverunt sedecim quadratas pilas, qua-



*Ichnographia palatii « Khirbet al-Mafdjar ». Numero 1
signatur ipsum palatium quadratum, ut solet ; numero 2
meschita ; numero 3 balnea, quorum ingens frigidarium
coniunctum est cum œco audientiarum.*

rum bases servantur, concameratum tectum ampli splendidique frigidarii sustinuisse. Pavimentum constat ex operibus musivis magnæ elegantiæ et varietatis. Accessus in hunc hypostylum œcum datur per medium latus orientale, ubi post magnam ornatamque portam instructum est vestibulum concameratum atque saltatricibus, oryigibus, perdicibus acanthisque mirum in modum ornatum.



Sectio restituta et axonometria ingentis frigidarii quod pertinet ad palatium « Khirbet al-Mafdjar ».

Ad latus meridionale frigidarii per gradus inter pilas dispositos descenditur in natabulum. Inde aqua etiam supra gradus per totum frigidarium manare poterat. In septentrionali frigidarii latere est aditus splendidissimi œci, ubi califa summa cum maiestate habebat audientias. Opus musivum, quo œci solum ornatum est, numeratur inter pulcherrima Omeiadum ætatis : oryges, leo et malus Punica ibi descripta est modo artis Græco-Romanæ (quod opus musivum ostenditur in fronte huius fasciculi).

Per septentrionale frigidarii latus accessus etiam datur in reliquis thermarum partes, quæ sunt tepidarium et caldarium. Eis adiunctus est parvus œcus, qui videtur aptus esse corporis ablutionibus. Duobus immissariis præditus est, quorum unum aquam ex aquæductu deductam certe continebat, sed alterum nescimus quem alium liquorem. Sunt historici qui dicant hunc liquorem fuisse vinum, nitentes carmine operis c.t. « Kitab al-Aghani ». Poeta ibi narrat se califam al-Walid II. visitavisse. Tunc califa, dum poetam carmina canentem audit, se nudum in vini immissarium immersit ; ad

finem audientiæ iacebat vino sopitus.

Iuxta thermas etiam sunt latrinæ modo Romano instructæ, id quod solum in duobus castellis deserti inventum est ; Arabes enim eorum usum sibi non assumpserunt.

Dum nonnulla maioris momenti ædificia et religiosa et profana, quæ a califis Omeiadibus exstructa sunt, lustramus, apparuit artem Græco-Romanam principalem fontem fuisse primæ architecturæ Mahometanæ, per paucis architectonicis elementis de Persicis usibus depromptis. Tunc artifices religione Mahometana nondum impediabantur quin animalia et præsertim corpora humana delinearent vel formarent.

A medio VIII sæculo, post tragicum stirpis Omeiadum exitum, scæna orbis Mahometani valde mutatur. Nova stirps Abassidarum Damascus et terras cultu Græco-Romano imbutas relinquit. Caput imperii in Mesopotamiam transfertur, ubi præpollet Sassanidarum hereditas culturalis.

Cum in æternum relinquuntur castella deserti, tum Islamismus magis magisque separatur a cultu Græco-Romano... ❖

i. Veniam a lectoribus peto quod intercapedo trium fasciculorum inter hanc ultimam symbolam et præcedentem, quæ ad architecturam Mahometanam spectat, facta est propter varias inevitabilesque necessitates.

*Huiusmodi statuis ornabatur palatium « Kbirbet al-Mafdjar ».
Hæc servatur Hierosolymis in Museo Rockefelleriano.*



LATINE CANVNT

- Anna Elissa Radke & Alanus Van Dievoet -

POUR MADAME LE PROFESSEUR
JACQUELINE HAMESSE
pepigit Anna Elissa Radke

Directrix Academiae
Belgicae, tibi gratias
Dico, quod generosius
Musico misero gregi
Præbes cenam et asylum.

Doctrix, hospitium colis
Docto colloquio tuo, et
Servus hospitibus tacens
Arridens simul ingerit
Larga pocula vini.

VER NOVVM ANNI 2001
pepigit Alanus Van Dievoet

En crescunt flores hortis, recinuntque volucres,
ver redit in pratis, montibus atque mari,
sed redeat quoque ver in pectora nostra, repellens
curas letiferas tristitiamque nigram.

AD ANNAM ELISSAM RADKE
pepigit Alanus Van Dievoet

Miles indefessa Novem Sororum
Montibus quæ sunt et erunt canentes
Deliis, reddant tibi mille grates,
carmina propter.

Nam quis ausit, liberior poeta,
te altius Parnassi ad acumen ire,
ebrio non lassus aquas equinas
ebibere haustu.

Aut quis ascendet glaciale culmen,
candido passu, propius, viator
frigidum scandens Helicon solus,
alite verbo ?

BIBLIOTHECA LATINA
DE NOVIS LIBRIS

G. CAPELLANVS, *Parlare latino oggi. Conversazione moderna nella lingua di Roma*, versio Italica facta ab Enrico Renna et Claudio Ferone, ed. Fratelli Ariello, 2000, 272 pp.


Liber Capellani, anno 1890 Theodisce primum editus, decursu temporum factus est opus vere classicum. Auctori exemplo fuerant illi libri periegetici, quibus viatori sententiæ præbebantur aptæ ad omnes vitæ condiciones. Sententiæ, nomina locorum, carmina, dialogi : liber, etiamsi nonnullis in rebus paululum obsolevit, est valde pretiosus ; est enim thesaurus locutionum vere Latinarum, ex antiquis auctoribus Erasmoque depromptarum, ut patet ex Italicæ editionis adnotationibus. Hac editione (confecta auspiciis Academiæ c.n. Vivarium Novum) Itali procul dubio gaudebunt.
SB 331-001-II-D

TH. SACRÉ, *Musa superstes. De pœsi sæculi XX Latina schediasmata*, Romæ in ædibus Academiæ Belgicæ, 2001, 62 pp.

Theodoricus Sacré nobis hic offert attractivum conspectum, qui pertinet ad nostræ ætatis pœtas : de singulis proponit brevem biographiam, bibliographiam, nonnulla carmina, iudicium litterarium. Adduntur etiam nonnulla inedita. Sic Didacus Vitrioli, Arrius Nurus, Antonius Smerdel, Leo P.M. XIII, Arituneus Mizuno, multi alii intra paucas paginas acute attinguntur, summa lectorum delectatione. Seminarium Philologiæ Humanisticæ, Blijde Inkomststraat, 21, B-3000 Leuven.

« *Carmina nunc quoque Romanis resonantia chordis* ». *Flores Latini ex horto pœsis hodiernæ selecti*, quos collegit præfatiunculisque instructos edidit TH. SACRÉ, Cortoriaci, Letteren Kulak, 2001, 126 pp.

Eodem pæne proposito, sicut in opere supra dicto, Theodoricus Sacré hic proponit selecta carmina, quorum auctores sunt hi : Horatius Antonius Bologna, Antoninus Grillo, sodalitas « Harundine » vocata, Demetrius E. Koutroubas, David Money, Thomas (Tuomo) Pekkanen, Anna Elissa Radke, Fidelis Rädle, Alexander Smarius, Iosephus Tusiani, Marcus van Rooij, Michæl Verweij. Unum ex his flosculis vobis præbere volui, eligere non valui. Omnes legatis oportet.
Letteren Kulak, Universitaire Campus, B-8500 Kortrijk.



Dulce et decorum est philologiam colere. Festschrift für Dietrich Briesemeister zu seinem 65. Geburtstag, ed. S. GROSSE und A. SCHÖNBERGER, Berolini, Domus Editoria Europæa, 1999, 2 vol., 1900 pp.

Nullum dubium quin Professor Briesemeister non sine commotione animi acceperit hoc ponderosum donum natalicium, quo amici et collegæ gratulandi causa varia argumenta philologica variis linguis tractaverunt. Opus Latinistas in hoc quoque tangit, quod in eo S. Albert de lexicographia neo-Latina, C. Eichenseer de dierum et annorum numeratione, I. IJsewijn de carmine Iosephi Octaviani Nobili Savelli Latine tractaverunt.
ISBN 3-927884-61-8

Secondo Convegno Europeo di Latino. Il Latino per scoprire l'Europa. Giubileo 2000 « Donne e Poeti pellegrini d'amore », ed. R. N. TOMASONE, Felice Miranda Editore, 2001, 183 pp.


Profestrix Rosa Nicoletta Tomasone præsidet sedi culturali « Luigi Einaudi », quæ anno 1990 condita est. Hæc sedes, inter alia, cooperari solet cum institutis et studiorum universitatibus totius Europæ ad linguæ Latinæ artem didacticam promovendam. In eius gremio etiam creatum est « Sodalitium Daunorum », academia Latina qua Latinitas viva colitur et conventus instituuntur. In his actis secundi conventus diebus 17-19 m. Aprilis a. 2000 acti invenietis symbolas, alias Italice, alias Latine conscriptas, a professoribus totius Europæ

conscriptas, quibus vos cupido verisimiliter capiet
proximi conventus anno 2002 participandi.
Centro Culturale « L. Einaudi », Via M. Pagano, 56, I-
71016 San Severo.

G. IMMÈ, *Novæ fabulæ*, coll. Babel-Nova (Latine
scire, gradus primus), Neapoli, Italibri, 32 pp.
Catulli Carmina, coll. Babel-Collectio (Latine scire,
gradus tertius), Neapoli, Italibri, 32 pp.

Domus editoria Italibri libros proponit scholasticos, in
quibus nihil, neque proœmium, neque explanationes,
neque exercitia, alia lingua scriptum est, nisi lingua
quæ discitur. Quod utile est propositum, non solum
propter optimam exercitationem, sed etiam quia libri
sic possunt etiam extra fines Italiæ emi et adhiberi.
Præter hos duos libellos exstant iam commentarii « de
Bello Gallico ». Ceterum animadvertite editorem
hodiernam Latinitatem non spernere, quippe qui iam
ediderit Genovefæ Immè lepidas « Novas fabulas »,
secundum exemplum Phædri excogitatas, atque editu-
rus sit eiusdem « Carmina amatoria » narrationesque
discipulis idoneas. Insuper, ut omnis discipulus habere
posset suum proprium libellum (sunt enim in eo pensa
scribenda), editor etiam curavit ut pretium esset ridi-
culum (c. 2,5 EUR).

Italibri, C.so Campano, 35 - I-80034 Marigliano
(Napoli). italibri@netgroup.it



In hoc fasciculo !

Ad lectorem p. 1

De sauna sive balneo Finnico [T. Pekkanen] p. 3

Inedita pœmatia C. Arrii Nuri [Th. Sacré] p. 4

Nuntii ex Congo [I.M. Lecomte] p. 5

Iuvenis Werther quæ passus sit [N. Gross] p. 6

De Mahumetanæ architecturæ originibus [G. Licoppe] p. 9

Musa Latina [A.E. Radke, A. Van Dievoet] p. 14

Bibliotheca Latina p. 15

LATINE LOQVI...

CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM ANNI 2002 IAM NVNTIATVR

Per multis linguæ Latine cultoribus non solum Americæ Septentrionalis regiones, verum alias etiam orbis terrarum partes habitantibus iam innotuerunt conuenticula Latine loquentium, quæ Lexintoniæ in civitate Kentukia quotannis celebrantur, quippe quorum participes Latine interdum sermocinantes, Latine noctu somniantes, Latine noctes diesque viuentes communitate quadam atque sodalitate delectentur iucundissima. Itaque omnes Latine loquendi studiosos diligenter legere oportebit hunc nuntium. Conuenticulum nostrum anno bis millesimo secundo a mensis Iulii die undevicesimo usque ad diem undetricesimum agitabitur. Aditum in conuenticulum petentibus sexagena quina dollaria sunt solvenda. Scitote nos adeundi pretium iis rependere non posse, qui post pecuniam erogatam participandi consilium mutaverint. ¶ Quæsumus ut qui conuenticulo interesse constituerint sua dent nomina pretium adeundi exsoluant ad Kalendas Maias, quæ est nominibus accipiendis et inscribendis præstituta dies. At quo quis maturius rogaverit ut in conuenticulum conscribatur, eo verisimilius erit locum ei dari posse. Nam haud plus quadraginta et quinque participes anno bis millesimo secundo nobis licebit admittere. ¶ Huiusmodi conuenticula tironibus, id est Latine discere tantum ingredientibus, haud sunt idonea. Itaque invitantur illi qui sat bene Latine legere queant, qui normas regulasque grammaticas magna ex parte compertas habeant. At peritia Latine loquendi nequaquam erit necessaria. Sermonis extemporales omnino rudes libentissime invitamus, immo adhortamur ut adfuturi sint vivaque Latinitate quadamtenus imbuantur. ¶ Qualia sint conuenticula nostra ¶ Eo in primis proposito congregabuntur participes ut peritiam aliquam ex tempore et volubiler Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur. Id tantum in ipsis sessionibus agatur ut socii facultate Latine dicendi, audiendi, intellegendi assuefiant. In hoc tantum cottidie ab horis matutinis usque ad vespertinas summa opera et contentione incumbetur. Non solum disseretur et disputabitur de litteris et libris, sed argumenta quoque ad res cottidianas, domesticas, familiares spectabunt. ¶ Credimus sessiones nostras ludimagistris, professoribus, omnibus, qui aliquam Latine ser-

mocinandi et disputandi facultatem consequi cupiant, magno fore subsidio et emolumento. Prosunt conuenticula nostra vel illis qui Latine loqui sciunt, sed qui occasionem expetant facundiæ exercendæ commodam et iucundam. Denique, id quod haud minimi momenti est, qui nostris interfuerint sessionibus postea inuenient scripta Latina sese quodammodo facilius, citius, melius legere et intellegere posse - idque multo maiore cum fructu. ¶ Neque prætermittendum est illud, quod colloquia nostra ad Latinitatis « aureæ » et « argenteæ » (quæ vocatur) normas grammaticas diriguntur. Nam maxime perspicua est Latinitatis aureæ et argenteæ syntaxis, ut videbimus omnes, et ad omnem sermonem mirum in modum accommodata. Ad vocabula scilicet et voces recentioris et recentissimæ Latinitatis proprias nonnumquam confugiendum est : aliquando, etsi multo rarius, vocabula prorsus novanda et fingenda. Hac in re humanistas optimos, qualis erat Erasmus, qualis Marcus Antonius Muretus, quales alii permulti, imitari volumus, qui ut sermonis antiqui structuram et syntaxin conservare studebant, ita novas voces, cum opus fuerat, libenter usurpabant. Fontes igitur sociis commendabuntur unde voces recentiores commode inueniant et mutuentur. Præterea quibus sermonibus conveniant vocabula recentiora novatave, quibus sufficiant antiqua, omnes una et coniunctim considerabimus. ¶ Primo die (die undevicesimo) nullæ sessiones agitabuntur, sed convivium initiale et aditiale (ut sic dicamus) ab hora sexta vespertina ad nonam decimamve celebrabitur, cui convivio ut unusquisque intersit enixe rogamus et obtestamur. Nam eo in convivio convivæ discent quam ad rationem sessiones insequentibus ordinentur. Quolibet sermone, sive patrio sive alio, in convivio aditali licebit commissantibus uti - quamquam auctores sumus ut etiam in primo illo congressu participes, si possint, Latine loquantur. Attamen, convivio aditali peracto, nihil inter ipsas sessiones dicetur nisi Latine, nullam per totum conuenticulum linguam usurpabimus nisi Latinam. ¶ Omnes qui huic conuenticulo interesse meditantur ad Terentium Tunberg, linguæ Latine professorem, scribatis oportet, cuius est hæc inscriptio cursualis electronica : clatot@pop.uky.edu